

Letter 48: 29 June 1520, Strasbourg, Jacob Sturm to Capito

The autograph original of this letter is in Paris, Bibliothèque de la Société de l'Histoire du Protestantisme français, ms. 756/1, f. 155r–v.

Salve, Wolfgange integerrime. Audio Theodericum Zobel, canonicum Moguntinum, sacerdotium quod in ecclesia Sancti Thomae hic possidet pro annua pensione dimissurum. Qua de causa Iacobo Spiegellio, secretario regio, scribo, ut tuo ac aliorum si quos Moguntiae habet amicorum auxilio tentet si Theodorico isti persuadere posset quo sacerdotium tale mihi pro pensione honesta, ut vocant, cedat, quemadmodum ex Spiegellio latius intelliges. Quare te pro veteri nostra que a multis iam annis mihi tecum intercessit amicitia rogo obtestorque, ut Spiegellio ope et consilio tuo assis laboremque istum pro me suscipias. Facies in eo rem mihi gratam ita ut hoc tempore gratiorem vix possis sentiesque te beneficium hoc in hominem minime ingratum collocasse, nam scis iam olim me tuum esse tuique causa nihil non subiturum oneris. Vale, amicorum optime. Ex Argentina, ipsa die Petri et Pauli anno MDXX.

Tuus Iacobus Sturmus

[*Address*]: Wolfgango Fabritio Capitoni, theologo clarissimo, concionatori Moguntino, domino et amico honorando.

[*In another hand*]: Iacobus [*In Capito's hand*]: Sturmus